

## SALMO 50 "MISERERE"

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.  
**Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.**  
Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.  
**Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.**  
Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

**Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.**  
Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.  
**Asperges me hysopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.**  
Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exsultabunt ossa humiliata.  
**Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.**  
Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.  
**Ne proiicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.**  
Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.  
**Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.**  
Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae: et exsultabit lingua mea iustitiam tuam.

**Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.**  
Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.  
**Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, et humiliatum, Deus, non despicias.**

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Ierusalem.  
**Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.**